

delictum aufugit, uno ex recensitis duobus modis citare, & eum contumacem validè excommunicare.

PETES:

214. *Quid dicendum de Superioribus Regularibus quoad suos subditos?*

Resp. Superiores Regulares posse suos subditos per monitorium citare, & censuris ligare, ubicumque scierint, eos extra eorum territorium reperiri, sive deliquerint extra, sive intra eorum territorium, seu malitiosè aufugerint. Villalobos tom. 1. tract. 16. disp. 16. num. 6. Diana p. 5. cit. ref. 34. Pelliz. tom. 2. tract. 9. tit. 3. num. 65. Peyr. & alii innumeri, apud ipsos.

215. Ratio est; quia Monachus ubicumque est, semper est sub jurisdictione Abbatis, quem vicè Dei supra caput suum imposuit, ex cap. Statutum 19. q. 3. & cap. Si Religiosus, de Elect. in 6. & licet sit extra claustrum, fictione tamen juris, censetur esse semper in claustrum. Innoc. & Abbas, apud Pelliz. cit. Unde Doctores concludunt, Superiores Regulares nullum habere territorium, sed habere totum mundum pro territorio; ac proinde posse ubique in suos subditos propriam jurisdictionem exercere, eosque fugitivos ubique capere, non implorato Judicis secularis, aut Episcopi brachio.

216. Hinc Pelliz. cit. num. 66. habet, magnam esse disparitatem inter Episcopum, & Prælatum Regularem (quod spectat ad presentem materiam) siquidem Episcopus habet immediatè jurisdictionem in territorium, & ratione hujus in personas, que proinde non sunt ei subiecte immediatè per se, sed solum ratione domicili, beneficii, aut officii, quod habent in ejsus Diocesi; quod vel inde constat; quia in possunt supradicta relinquere, etiam invito Episcopo, seque transferre ad aliam Diocesim, statimque ac id fecerint, desinunt subijci illi Episcopo: Prælatus verò regularis immediatè habet jurisdictionem in personas Religiosorum subditorum, que proinde non sinitur certis locorum limitibus (ut sinitur Episcopalis) sed solum terminatur certis personis, que ubicumque sint, eadem ratione subijciuntur Prælato Regulari, ab eoque possunt coerceri, ac puniri, sicut, & filii à parentibus uxor à marito, &c. idque ratione potestatis dominative, quam habent Prælati Regulares in suos subditos Religiosos, non minus quam parentes in filios, vir in uxorem, &c.

QUÆRES XXIV:

217. *An subditus Episcopi existens in Monasterio Regularium teneatur sub censura ad revelandum ex vi monitorii à suo Episcopo latis?*

Hanc difficultatem tractant Tancr. tom. 5. tract. 4. quest. 6. num. 5. & Diana part. 5. tract. 9. ref. 37. sed minori claritate, ac proinde distinguendum puto.

218. Vel enim est sermo de delicto commissio in loco exempto, vel extra locum exemptum?

Loquendo de delicto commissio in loco exempto, duæ sunt opiniones:

219. Prima asserit, teneri ex vi monitorii ipsum furem ad restituendum, & scientem ad revelandum. Suarez, Agidius, & Coninch apud Tancr. & Dianam cit. quia Monasterium Religiosorum est locus exemptus, sed non facit territorium; & Hurt, de Conf. in com. disp. 8. num. 32. ait: nomine loci exempti, ubi delinquentes non possunt ab Episcopo ligari censuris, etiam à jure, sive generali, sive speciali latis, venire Abbatis quasdam, & Prioratus, minime Monasteria Religiosorum; quia soli Religiosi sunt exempti ratione sui, non locus Monasterii.

220. Secunda negat teneri, & ligari censuris ab Episcopo latis. Henriquez, Rayn. Sa, Avila, & Præpositus, apud Tancr. & Dianam cit. quia non solum personæ, sed etiam ipsa loca Regularium, uti Monasteria, & Ecclesiæ sunt exempta à jurisdictione Episcopi, præter casus à jure expressos, in quibus possunt Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati procedere Bord. p. 1. ref. 7. n. 5. ex Nicolao V. *Esitunciarum*, per hæc verba: *Quod licet ipsi fratres, ipsorumque domus, & loca, per speciale Sedis Apostolicæ privilegium ab omni jurisdictione, & superioritate quorumcumque Ordinationum sint exempti.* Locus autem à jurisdictione Episcopi exemptus, licet sit intra territorium Episcopi, est formaliter ab ejus jurisdictione exemptus: unde infert Tancr. cit. num. 6. eodem modo discurrendum esse in præsentem materia de censuris ab Episcopo latis, sive à jure pro delictis futuris vitandis, sive ab homine pro præteritis satisfaciendis. Qui proinde utramque opinionem probabilem putat, sive in terminis de subdito Episcopi existente in loco exempto, sive in Monasterio Regularium; adeoque probabile putat, quod non teneatur sub censura ad restituendum, aut revelandum.

Pariter utramque opinionem probabilem putat Diana cit. quoad censuras pro delictis futuris, statuto generali, aut speciali latis, vide Dianam, & Tancr. cit.

Ita quoad 1. partem citati Doctores discurrent. 221. Quoad 2. verò partem, loquendo videlicet de delicto commissio extra Monasterium exemptum;

Resp. subditum Episcopi existentem in Monasterio Regularium teneri ex vi monitorii, & sub censura, si est rem detinens, ad restituendum; & si est sciens, ad revelandum.

Prima pars sequitur ex dictis, q. 21. & 23. eadem namque rationes, que probant, subditum Episcopi, si post patratum ibi delictum ad aliud territorium se transiit, etiam animo ibi habitandi, teneri sub censura lato monitorio parere: à fortiori idem probant de ejus subdito existente in Monasterio Regularium, si fortiori, inquam, quia hic est subditus Episcopi, tam ratione delicti, quam ratione personæ, & existit intra ejus territorium.

Secunda pars sequitur ex prima; quia accessorium sequitur principale.

222. Nominè autem delicti intra, aut extra

Mo.

Monasterium commissi, de quo est sermo, non venit non restitutio, aut non revelatio, ut minus recetatur quidam; sed delictum illud, unde oritur onus satisfactionis, restitutio, videlicet, aut revelationis, ob quod jam patratum, etiam non subditus fit subditus, & ob quod monitorium fertur ad satisfactionem habendam.

QUÆRES XXV:

223. *An Episcopus existens in Diocesi alterius possit monitorium sub censura ferre contra suum subditum?*

Resp. non posse, nec in Diocesi alterius, nec in Monasterio, seu loco exempto, si requiratur causa cognita. Diana cit. ref. 35. Tancr. cit. num. 2. ex cap. Episcopum 9. q. 2. & ex cap. Novit. de Offic. Deleg. ubi habetur, quod jurisdictione contentiosa, qualis est ad excommunicandum, exerceri non potest in territorio alieno; & Judex extra suum territorium habetur, ut persona privata, & non potest Tribunal erigere ex cap. Notandum 2. q. 3.

224. Idem dico esse verum, etiam si delictum sit ita publicum, ut non requiratur causa cognita. Præpositus, apud Dian. cit. contra Avilam, & Cornejo; quia ipsum ferre censuras est actus jurisdictionis contentiosæ; unde recurrunt motiva prioris assertionis.

QUÆRES XXVI:

225. *An Episcopus, si in Diocesi alterius habet locum exemptum ab eo, & sibi, subiectum, possit in eo contra suos subditos monitorium ferre?*

Resp. posse Tancr. cit. q. 6. num. 1. quia locus ille, licet sit in Diocesi alterius Episcopi, non est tamen sub jurisdictione illius, sed sui, adeoque non censetur esse in territorio alterius, sed proprii Episcopi. Rot. Rom. decis. 55. 18. Maii 1611. ac proinde potest Episcopus in eo loco in Diocesi alterius sito monitorium ferre, etiam cum causa cognitione, cui obedire teneatur subditi, tam in dicto loco existentem, quam in propria Diocesi.

PARS SECUNDA,

DE DENUNCIATIONIBUS FACIENDIS AD EDICTA INQUISITORUM,

CAPUT I.

AFFERTUR EDICTUM GENERALIS INQUISITIONIS HISPANIARUM.

NOTA:

226. *A*uthor noster in hac, & sequenti capite affert Edicta Univers. Inquis. Romane, & DD. Inquisitorum Regni Sicilia sub Dialecto Italico: quibus subsequens Decretum ab Inquisitore Generali Hispaniarum sub excommunicationis majoris pena promulgatum, consulo sufficitur.

227. **I**n generali Congregatione S. Romanæ, & universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino nostro D. Urbano divina providentia Papa Octavo, ac Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ adversus hæreticam pravitate Inquisitoribus Generalibus, & Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

228. Sanctissimus Dominus noster sedulo incumbens, ut ea, que salubriter Apostolicis Decretis, & Constitutionibus statuta, & ordinata sunt, præsertim, que ad Sanctum Officium Inquisitionis contra hæreticam pravitate pertinent, inviolabiliter observentur, & omnimodam forsiantur executionem, districte mandat, & præcipit, & omnes Superiores cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de necessitate exprimendæ, Regularis, aut cujusvis alterius Instituti, etiam quantumvis exempti, & privilegiati, teneantur sub pena privationis Officii, ac vocis activæ, & passivæ, ipso facto incurren-

da, aliisque arbitrio Sanctitatis suæ infligendis in perpetuum, semel saltim in anno, id est, feria sexta post octavam Assumptionis B. Mariæ Virginis in publica mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato, & insuper in quocumque Generali, ac Provinciali Capitulo, Conventu, Dieta, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari Congressu, suos subditos, ac Religiosos commone de injuncta omnibus observantia, & executione earundem Apostolicarum Constitutionum, & Decretorum, ad Sanctum Officium Inquisitionis adversus hæreticam pravitate pertinentium, ac præsertim,

229. Julii Tertii Constitutionis primæ, incipit: *Licet à diversis*, contra impediendes Inquisitores hæreticæ pravitate in eorum Officio, aut in causis Inquisitionis se ingerentes, eorumque complices, & fautores: & contra ipsos Inquisitores admittentes laicos ad criminis hæreticæ cognitionem. Et Pii Quinti Constitutionis octogesima secundæ, incipit: *Si de protegentis*: contra occidentes, verberantes, desiccantes, aut perterrefaciendes quemvis ex ministris Sancti Officii Inquisitionis, vel Episcoporum, id minus in sua Diocesi, vel Provincia obventum, seu accusatorem, denunciatores, aut testem, in causa fidei quomodocumque productum, vel evocatum; necnon contra diripientes, expugnant, invadentes, incidentes, expilantes, aliove exportantes alicujus

Mmm 2

ppz.

prædictorum bona, libros, litteras, authoritates, exemplaria, regesta, protocoila, exempla, scripturas, aliav instrumenta, sive publica, sive privata, ubicumque posita, eorumque complices, & fautores: & contra effringentes carcerem, vel custodiam publicam, vel privatam, extrahentes, vel emittentes vincitum, prohibentes capiendum, captumve recipientes, eripientes, occultantes, seu facultatem effugendi dantes, seu id fieri jubentes, eorumque complices, & fautores, etiam effectu non secuto, nullatenus excusandos, nisi claras tantummodo probationes in contrarium adducentes: & contra intercedentes pro præfatis delinquentibus: Insiectis contra quemlibet prædictorum pœnis, quæ damnatis ex primo capite legis Julæ majestatis, eorumque filii, irrogantur: & oblata revelantibus impunite.

230. Pii V. Constitutionis trigesima prima, incipit: *Cum sicut nuper*, contra Sacerdotes, qui penitentes mulieres in actu Sacramentalis confessionis ad inhonestos actus provocare, & allicere tentant, & sollicitant. Et Gregorii XV. Constitutionis trigesima quarta, incipit: *Universi Domini gregis*, ampliativè circa hujus criminis probationes, & extensivè contra Confessarios, qui personas (quæcumque illæ sint) ad inhonestam, sive inter se, sive cum aliis, quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confessionis, sive ante, sive post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis, vel extra occasionem confessionis in confessionario, aut alio in loco, ad audiendam confessionem electo, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint. Et contra Confessarios non monentes eos, quos sciunt ab aliis Confessariis sollicitatos esse, ut Inquisitoribus, vel Ordinariis sollicitantis denuncient, vel docentes eos ad ita denunciandum non teneri.

231. Gregorii Tertidecimi Constitutionis vigesima secunda, incipit *Officii nostri partes*, de jurisdictione Inquisitorum hæreticæ pravitatis in eos, qui ad Ordinem Presbyteratus non promoti, Missas celebrant, & Sacramentaliter confessiones audiunt. Clementis Octavi Constitutionis octogesima prima, incipit: *Est aliis*, declaratorie pœnæ contra eos insigendæ per iudices laicos, prævia eorum degradatione. Et Sanctitatis suæ Constitutionis septuagesima nona, incipit: *Apostolatus officium*, extensivè ad minores viginti quinque annis, dummodo vigesimum ætatis annum compleverint.

232. Sixti Quinti Constitutionis decima septima, incipit: *Celi, & terre creator*: Contra exercentes artem Alrologiæ judiciaræ, & alia quæcumque divinationum genera, librolivè harum artium legentes, vel tenentes. Et Sanctitatis suæ Constitutionis centesima tercia decima, incipit: *Insuperabilis iudiciorum Dei*, extensivè ad alia, & cum gravioribus pœnis.

233. Clementis Octavi Constitutionis quadragesima secunda, incipit: *Cum sicut*: Contra Ita-

los, ne extra Italiam profiscerentur ad loca, in quibus liber, & publicus cultus, sive usus Catholicæ Religionis non existat, minisque in eis locis habitent. Et Gregorii Quintidecimi Constitutionis vigesima octava, incipit: *Romani Pontificis*: Contra hæreticos, in locis Italiae, & Insularum adjacentium quovis prætextu commorentur, & contra eorum fautores, & receptatores.

234. Pauli Quinti Constitutionis vigesima sexta, incipit: *Romani Pontifex*, revocatorie facultatum Superioribus quarumcumque Ordinum, & Religiosorum quoquo modo concessarum cognoscendi causas suorum subditorum ad Officium Sanctæ Inquisitionis quomodolibet pertinentes.

Ejusdem Constitutionis nonagesima septima, incipit: *Regis pacifici*, innovatorie constitutionum à Sixto Quarto, & Pio Quinto; de Conceptione B. Mariæ Virginis editarum: impositionis majorum pœnarum in transgressores, à locorum Ordinariis, & hæreticæ pravitatis Inquisitoribus puniendos. Et Gregorii Quintidecimi Constitutionis vigesima nona, incipit: *Sanctissimus Dominus noster auditis*, ampliativè, & declaratorie prohibitionis asserendi, Beatam Mariam Virginem conceptam esse in peccato originali.

235. Gregorii Quintidecimi Constitutionis vigesima septima, incipit: *Romani Pontifex in specula*, revocatorie quarumcumque concessionum vivæ vocis oraculo factarum. Et Sanctitatis suæ Constitutionis extensivè ad quoscumque, quantumvis privilegiatos, & exemptos, incipit: *Alias felicis recordationis Gregorii Papæ XV. sub data Romæ, die vigesima Decembris, anno Domini millefimo sexcentesimo trigesimo primo*.

Ejusdem Constitutionis quadragesima, incipit: *Apostolatus Officium*, & Sanctitatis suæ Constitutionis centesima quartadecima, incipit: *Eo modo*, revocatorie licentiarum quarumcumque legendi, & habendi libros prohibitos.

Sanctitatis suæ Constitutionis 37. incipit: *Sanctissimus Dominus noster sollicitè animadvertens*, de imaginibus nondum à Sede Apostolica canonizatorum, vel beatificatorum cum radiis, splendoribus, aut laureolis, non proponendis; tabellis, aut luminaribus ad eorum sepulchra non apponendis: eorumvè gestis, miraculis, revelationibus, beneficiorum impetrationibus, non publicandis, aut imprimendis.

236. Pariter Sanctitatis suæ Constitutionis quinquagesima, incipit: *Sanctissimus Dominus noster pro debito sui Pastoralis officii*, de libris ubicumque compositis, de quacumque materia tractantibus, ab his, qui degunt in statu Ecclesiastico, non transmittendis alio, ut imprimantur, sine Vicarii, & Magistri Sacri Palatii in Urbe, vel extra eam sine Ordinarii, & Inquisitoris, aut ab eis Deputatorum licentia.

237. Et ejusdem Sanctitatis suæ, Constitutionis sub data Romæ die quinta Novembris millefimo sexcentesimo trigesimo primi, incipit: *Cum sicut accepimus*: Quod

Quod Constitutiones Apostolicæ in concernentibus fidem Catholicam, & S. Inquisitionis Officium hæcenus edictæ, & in posterum etiam super quacumque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet privilegiatos comprehendant, nisi in edendis illi specialiter excipiantur.

238. Et insuper iidem Superiores teneantur curare, & efficere, ut hujus decreti exempla aliquo in loco apud eos publico asignantur, & affixa conserventur, ita ut ab eisdem subditis Religiosis omnibus videri, ac legi commodè queant. Deque hujusmodi commonitione publico documento statim certiorum facere Congregationem Sanctissimam Inquisitionis in urbe. Et ita mandat, & præcipit Sanctitas sua.

CAPUT II.

DE VIRTUTE EDICTI INQUISITOR.

239. **E**DICTUM DD. Inquisitorum præcipit esse eorum Tribunali denunciandos à scientibus hæreticos, aut suspectos de hæresi intra præfixum terminum, qui in Edicto Inquisitionis Hispanicæ, solum esse sex dierum, in Edict. Univ. Inquis. Roman. unius mensis, qui incipit à die scientiæ delicti, ut *l. num. 722.* quo elapso termino, qui culpabiliter non denunciavit, incidit in excommunicationem majorem reservatam Pontifici, & Inquisitoribus, ut in *num. 726. & 730.*

Comprehendit delicta omnia contra fidem tam præterita, aut publicationem Edicti, quam præsentia, & futura; quoniam omnia exprimit denuncianda.

Denunciatio in Regnis Hispaniarum faciendæ est solis Inquisitoribus; in aliis verò Regnis, & Provinciis fieri potest Episcopis, juxta dicta à *num. 708.*

Item fieri potest eorum Commissariis, juxta locorum consuetudinem, quæ quidem ubi adest, est rationabilis; quoniam reddidit facilem & minimè onerosam denunciationem Fidelibus, qui à locis, ubi Inquisitores commorantur, distant. Lupus in Edictum S. Inquis. p. 56. diff. 2.

QUÆRES I:

Quanto tempore duret Edictum?

240. **R**esp. certum est, durare per integrum annum; quia talis est Inquisitorum intentio, & praxis fidelium. Diana p. 4. tr. 5. ref. 27. & Leander tract. 5. de Pœnit. disp. 13. q. 58.

241. Imò puto, illud esse perpetuum. Bord. in Sacro Trib. cap. 30. num. 4. & Diana cit. quia habet vim legis canonicæ, non præcepti transitorii; quoniam fit autoritate Apostolica, & est collectio Constitutionum Apostolicarum. Item Tribunal est perpetuum, causa fidei est perpetua; igitur remedium Edicti est perpetuum.

Nec officit, quod quolibet anno, mense Martii

publicetur: quia etiam Bulla Cœnæ, quolibet anno, feria 5. in Cœna Domini publicatur, & tamen est perpetua, id namque fit, ne processu temporis possit allegari ignorantia, quæ ratione Constitutionis Pontificiæ ad S. Officium spectantes, quolibet anno solent publicè à Regularibus perlegi, & tamen sunt perpetuæ.

Hinc fit, ut si aliquo anno ex aliquo casu Edictum non publicaretur, adhuc essent hæretici, & suspecti de hæresi denunciandi, necdum ex præce pto divino, verum etiam ex Ecclesiastico, & humano, ut in *num. 706.*

242. Et hæc est differentia inter Edicta Inquisitorum, & Edicta Episcoporum; illa enim habent vim legis, ista præcepti transitorii: unde non durant per totum annum, sed per duos, aut tres menses; hinc, si post hoc tempus transactum novit quis, aliquid esse concubinarium, non teneri eum denunciare, ait Avila, apud Dianam. cit. Vide n. 49. quia hæc Edicta, cum non concernant damnum publicum, aut fidei, non accipiuntur cum tanto rigore. Ita ille.

QUÆRES II:

243. An obligatio denunciandi extinguatur morte delinquentis?

Resp. 1. non extinguitur, loquendo de crimine hæreticis formalis. Est Com.

Unde Diana p. 4. tract. 7. ref. 28. hæc habet: *Licet omnia crimina morte extinguantur, ex l. Defuncto, ff. de Publicis judiciis, non tamen crimen hæresis extinguitur; & ideo contra hæreticum post mortem, possunt DD. Inquisitores procedere, ut affirmant Doctores, quos citat, & sequitur Sanctarellus, de Hæresi, cap. 27. dub. 1. num. 12. igitur formato processu, si hæresis est plene probata, hæreticus mortuus damnandus est, & ejus bona fisco sunt applicanda, etiam si devenerint in manus tertii possessoris, & si ejus ossa à Catholicis possunt distingui, exhumanda sunt, & ejus statua comburenda, & infra: Notandum est tamen hic, quod hæreticus defunctus condemnari non potest, nisi prius, citatis filiis, vel hæredibus, sive presentibus, sive absentibus, sive certis, sive incertis, & illis data est copia indiciorum, & accusationum: sic statuitur in Instrum. Tolerana anno 1561. Vide num. 190. & à num. 161.*

Ratio est; quia crimen hæresis semper serpit, & propagatur contra fidem, unde ex cap. Sanè 6. 24. quasi. 2. hæreticus etiam post mortem excommunicatur, hoc est declarat excommunicatus, privatur Ecclesiastica sepultura, & exhumatur, & ejus ossa comburantur, si possint ab ossibus Catholicorum discerni, aliis ejus statua comburitur: debent tamen ejus filii, seu hæredes citari ad eum defendendum, & magis seipso quoad famam, & bona, ne confitentur.

244. Resp. 2. in aliis criminibus quantumvis vehementer de hæresi suspectis, obligatio denunciandi extinguitur morte delinquentis. Diana cit. Alberginus in Man. Qualif. cap. 36. num. 4. & apud ipsum Pen-

Peña, Castropal. & alii, quia contra suspectos de hæresi, etiam si fuerint fautores, defensores, & receptatores hæreticorum, post mortem procedi non potest, ex cap. *Accusans*, §. *Porro*, de *Hæreticis* in 6. nam fautores, &c. hæreticorum non sunt formaliter hæretici, sed suspecti de hæresi; adeoque inutilis est tunc denunciatio.

QUÆRES III:

245. An obligatio denunciandi hæreticum formalem jam mortuum sit perpetua?

Resolutio hujus difficultatis procedit ab alia: An actio Inquisitorum procedendi contra hæreticum defunctum possit præscribi?

Castropal. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 17. §. 7. num. 16. asserit, præscribi quoad totum, spatio 40. annorum, ita ut elapso spatio 40. annorum, non possunt Inquisitores contra defunctum procedere, nec damnando ejus memoriam, nec confiscando ejus bona ex cap. 2. de *Prescriptionibus*, lib. 6.

Dico tamen, actionem Inquisitorum procedendi contra hæreticum defunctum, quoad ejus memoriam damnandam, & statum comburendam, nullo temporis spatio præscribi; quoad autem ejus bona confiscanda, præscribi spatio 40. annorum, Diana, & Alberg. cit. cum Penna, & aliis; textus enim relatus à Castropal. præcisè loquitur de actione quoad confiscanda bona.

246. Dices cum Castrop. confiscatio bonorum est accessoria condemnationi memoriæ defuncti; igitur, si actio condemnatoria memoriæ defuncti nunquam possit præscribi, pariter nunquam possit præscribi actio confiscandi bona defuncti; quia accessorium sequitur suum principale; id autem est expressè falsum de actione confiscandi bona, ex recensito textu; adeoque dicendum venit, utramque actionem spatio 40. annorum præscribi.

Resp. accessorium sequi suum principale, quando non est ratio specialis, quæ hujusmodi sequelam impedit; ea evenit in re nostra; quoad damnandum enim memoriam defuncti heretici, habetur causa perpetua, quatenus hæresis serpit, ut cancer, quippe quæ pestifera est, cap. *Vi Inquisitionis*, de *Hæreticis*, lib. 6. ac proinde semper propagatur contra fidem; & ideo actio ad damnandum memoriam defuncti est perpetua: hac ratione esset etiam consequenter perpetua actio confiscandi ejus bona; & quia jus prescriptionis est introductum jure positivo humano, & Doctores committunt, unà cum jure lato ex cap. 2. de *Prescriptionibus*, lib. 6. rationabilibus de causis dispossuerunt, ut bona heretici defuncti ab hæredibus bona fide spatio 40. annorum possessa, præscribantur: ideo non sequitur, quod si actio damnandi memoriam defuncti est perpetua, ita actio confiscandi ejus bona; nec è converso, quia Doctores committunt; & jus recensitum prescriptionis dispossuerunt contra posteriorem actionem, non contra priorem.

Ut autem filii, seu hæredes bona heretici defuncti præscribant, ultra possessionem bonorum bona fide per spatium annorum 40. requiritur, quod non fit detectus intra illud tempus hereticus, nam hoc habetur expressè in relato textu.

247. Ex his patet resolutio ad principale questum, nimirum, obligationem denunciandi heretico formalem jam mortuum, esse perpetuam. Ita DD. cit. 9. Contra Castrop. qui consequenter tenet contra illam præscribi spatio 40. annorum: nostra ratio est; quia talis denunciatio elapso tempore 40. annorum, licet non valeat pro confiscandis bonis defuncti, valet pro ejus memoria damnanda. Plura vide à num. 242. ad 244. & num. 637. & 731.

CAPUT III:

DE PERSONIS, QUÆ EX VI EDICTI denunciari tenentur.

248. **O**mnes, & singula personæ, sive mares, sive mulieres post 14. annum, quo plenum rationis usum habent, sive Saculares, sive Moniales, & Regulares cujuscumque gradus, & dignitatis sint, Duces, Principes, Provinciales, Generales, &c. denunciari tenentur delinquentes, etiam suos subditos, quoad delicta ad S. Officium spectantia Inquisitori illi, sub cujus jurisdictione persona denunciatur, & persona denuncianda vivunt. Est contra Borch. in *Trib. Fidei*, cap. 27. num. 24. quoad Generales, quos tenet non comprehendi sub Edictis Inquisitorum, quoad denunciationem activam, sed solum passivam, quatenus non exprimitur ibi proprio nomine. Sed super hoc habetur novissimè Decret. Alex. VII. tenoris sequentis:

249. Licet alias per Const. felic. record. Pauli V. emanatam sub die 1. Sept. 1606. quæ incipit: Romanus Pontifex, fuerit districte prohibitum Superioribus Regularium, ne quovis titulo, vel pretextu preventionis, aut consuetudinis, & prescriptionis, etiam immemorabilis, aut alio in casibus ad S. Officium spectantibus, se quoquo modo introumittere, aut immiscere, denunciations recipere, vel nestum examinare, præcisè conficere, causas cognoscere, aut terminare audeant; imò ex ejusdem Constitutionis dispositione, eisdem fuerit graviter injunctum, ut suos subditos, ac Religiosos, quos hæresis labe infectos, vel de hæresi suspectos noverint, absque alia consultatione cum propriis suis Religiosis Superioribus, vel alia quavis persona faciendâ, sine mora Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis vicinioribus denunciarent; nihilominus admittentes Sanctissimus D. N. Alex. VII. ab aliquibus Regularibus in dubium revocari prædictam denunciandi obligationem, aded ut, nedum suos subditos non denunciarent, verum etiam fideles ad ipsos pro consilio recurrentes, an debeant S. Officium denunciare, quæ adierunt, aut viderent ad ipsius S. Officium spectantia, ad id faciendum, ut deberent, non obligent, imò aliquando eosdem perpetuam insistant, non teneri, nec sub obligatione Constitutio-

tionum Apostolicarum comprehendendi; & hanc opinionem erroneam aliquot Doctorum sententia confirmare tenentes, eosdem in maximum fidei discrimen ab onere denunciandi retrahere conentur: Tolens proinde Sanctitas sua abusus hujusmodi ex sui pastoralis officii debita coercere, post maturam facti discussionem, auditæ vocis Eminentiſsimorum, & Reverendiſsimorum DD. Cardinalium adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, innovans Constitutionem prædictam à fel. record. Paulo V. emanatam, & quatenus opus sit eam declarans, hoc presentis Decreto districte præcipit, & mandat omnibus, & singulis Regularium Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, Prioribus, Guardianis, Rectoribus, Prepositis, aliisque ejusmodi quocumque nomine nuncupatis Superioribus cujuscumque Ordinis, & Instituti, sive mendicantium, sive non mendicantium, nec non Congregationis, & Societatis Clericorum Regularium quoruncumque, etiam Societatis Jesu, aliorumque quomodocumque exemptorum, vel non exemptorum, etiam si essent specialiter, & nominatim exempti, ut omnino dicta Constitutioni in omnibus pareant: & omnes, & quoscumque Religiosos, tam sibi ipsi subditos, quam non subditos cujuscumque dignitatis, gradus, & conditionis existant, hereticos, vel de hæresi quomodocumque, etiam leviter suspectos, deserant, & judicialiter denuncient Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis, & nullatenus in causis ad S. Officium spectantibus audeant se introumittere, neque suos subditos ad S. Officium recurrentes, vel recurrere, aut accedere volentes, molestare, vexare, vel alio quovis modo, sive directè, sive indirectè avertere, retrahere, dissuadere; imò prædictos suos subditos monere debeant, ut ipsi quoque eidem decreto omnino pareant, & alios Christi Fideles, etiam Confratres suos ad parendum prater hortentur, & suadeant, rejectis penitus hujusmodi opinionibus, atque interpretationibus, quas Sanctitas sua cum voto d. Emin. DD. Cardinalium tanquam perniciosas, temerarias, & non consistentes, & à mente Sanctitatis sue profas alienas reprobat, & reprobat. Et quia quovis modo etiam eorum subditii deficiant in eo, quod ipsi implendum incumbit cum Religiosis ejusdem alteriusve Ordinis, aliisque quibuscumque personis de Fide suspectis caterisque petentibus consilium in materiis ad S. Officium spectantibus; ita ut nedum ipsorum denunciations deserant, vel ab illis protus abstineant; verum etiam multoties ab eisdem alios à se consilium petentes retrahant malis artibus, vel mendicatis Doctorum opinionibus, vel sub fraterne correctionis facta, vel faciente, aliove pretextu; propterea idem Sanctissimus declaravit, præfatos subditos absque ulla participatione, etiam si nulla petita venia à Superioribus, etiam si nulla fraterna correctio, vel alia monito præmissa fuerit, omnino teneri, & obligatos esse accedere ad denunciandum Ordinariis, vel Inquisitoribus locorum quocumque, etiam Confratres, ac Superiores, etiam primarios suos ejusdem Ordinis, & Religionis, quos noverint esse de fide quomodolibet, etiam leviter suspectos, ac propterea eosdem debere omnes, & quoscumque etiam alios à se consilium, ut supra, petentes monere, & obligare ad denunciandum: nec posse illos à denunciando sub-

dicta fraterna correctionis, vel alio quovis pretextu retrahere, aut retardare, & præfatos omnes, tam Superiores, quam subditos contrasfacientes, Sanctitas sua voluit, & declaravit, subjacere omnibus censuris in dicta Constitutione Pauli V. expressis, necnon privationis quoruncumque dignitatum, seu Prælaturarum, seu Officiorum suorum Ordinum, ac vocis activæ, & passivæ, perpetuæque inhabilitatis ad eadem ipso facto, & absque alia declaratione incurrentis, aliisque Sanctitatis sue, ac Successorum arbitrio insignendis penis, quarum relaxationem, suspensionem, absolutionem, vel dispensationem Sanctitas sua sibi ipsi, & Successoribus suis Romanis Pontificibus tantum, expressè reservavit, &c. Die 8. Julii 1660.

250. Penæ autem à Paulo V. die 1. Sept. 1606. per Bullam: *Romanus Pontifex*, salminatae sunt per verba tenoris sequentis:

§. 6. Quod si Generales, alique prædicti presentibus litteris non paruerint, eos omnis privationis quoruncumque dignitatum, seu Prælaturarum, vel Officiorum suorum Ordinum, ac vocis activæ, & passivæ, perpetuæque inhabilitatis ad eadem, necnon contra fautores hæreticorum, & impedidores officii statos, & immissas penas, aliasque censuras Ecclesiasticas, etiam excommunicationis latae sententia à qua non nisi à nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo absolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipso incurrisse, &c. Die 8. Julii 1660.

251. Denunciatus ab uno est adhuc denunciandus ab alio, etiam super eodem delicto, ita ut etiam illud sciat. Borch. in *Man. Consul. sect. 18. num. 30.* quia sic probatur delictum. Vide num. 689.

252. Borch. in *Trib. Fidei*, cap. 30. num. 31. ait: Imperatores, Reges, & Cardinales habere privilegium, ut non subiciantur Bullis Pontificiis, nisi nominatim exprimentur; ac proinde à fortiori non subdi Edictis Inquisitorum, quæ sunt statuta inferiora. Oppositum tenet Carena, p. 2. tit. 9. num. 28. dicens, eos comprehendi, tam quoad activam, quam quoad passivam denunciationem. Et idem novissimè tenet ipse Borch. in *Man. Consul. sect. 26. à num. 16. ad 21.* nam in Edicto Inquisit. Univ. Rom. habetur hæc particula: *quocumque dignitate, & auctoritate, etiam maxima fulgentibus.*

QUÆRES I:

253. An Viator, & Avena denunciari tenentur de Inquisitum, quem noverint, in loco, ubi per transiitum reperitur?

BOrd. cit. num. 14. vult, eos non teneri denunciare, non quidem Inquisitori loci, ubi reperitur; quia non est sub ejus jurisdictione; adventa enim, & viator non subditur legibus, & statutis loci, l. *Hæres absens* 19. §. 5. Proinde, ff. de *Jud.* & qui transit per aliquem locum, indè brevi recessurus, non dicitur ibi fuisse. l. *Quæstium* 76. §. fin. ff. de *Legat.* 3. Neque Inquisitori suo proprio; quia delinquens non est sub jurisdictione illius, nec sub illo deliquit.

Resq.

254. Respond. teneri delinquentem denunciare Inquisitori loci, ubi deliquit, seu de cuius jurisdictione delinquentis est; si non ex vi Edicti Inquisitoris particularis loci, ex vi tamen Decreti Univerf. Inquisitionis Rom. tenoris sequentis:

Univerfi, & singulis Christi Fidelibus, tam Ecclesiasticis, quam Sacularibus utriusque sexus, cuiusvis gradus, ordinis, & conditionis, & praeinentia existentibus, & quacunque dignitate, & auctoritate, etiam maxima fulgentibus harum serie, & tenore, auctoritate nostra, & huiusmodi nostri officii, qua fungimur in hac parte, precipimus, & mandamus, quatenus infra duodecim dies proximè computandos, quorum primos quatuor pro primo, & reliquos quatuor immediatos pro secundo, & ultimos quatuor pro tertio termino, & peremptorio ac trina monitione canonica assequamur, omnes, & singulos haereticos, seu de haeresi quomolibet suspectos, de quibus notitiam habuerint; debeant Nobis, vel Reverendo Commissario nostro, quoad habitantes in Urbe, quò vero ad alios extra Urbem, & ubivis locorum degentes Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis, vel eorum Vicariis Generalibus sub excommunicationis maioris latae sententiae pena, quam in contrarium facientes ipso facto incurant, judicialiter proferre, cuius excommunicationis maiorem absolutionem S. D. N. Papa, & Nobis reservamus, certificantibus huiusmodi conscientia sua immemores, ad dictam excommunicationis penam contemneres, quod contra ipsos, tanquam contra haereticorum fautores, alias prout melius visum, & iudicatum fuerit, procedetur, idèd, & Dat. in nostra, & Officii S. Rom. Univ. Inquis. Congreg. die 3. Jan. 1623.

Novissimè suum dictum revocavit Bord. in *Man. Consult. sect. 18. num. 17.* affirmans, viatores, & advenas teneri denunciare in loco, ubi quis delictum commisit.

Imò in num. 86. addit. Quod si Petrus sciat, Paulum fecisse fortilegium in Diocesi, v. gr. Regiensi, ubi ambo erant eo tempore, & deinde recesserunt, unus Bononiam, alter Parmam; teneatur Petrus denunciare hic Parmae, vel Regii, vel Bononiae.

255. Supradictum autem Decretum non est praeceptum transitorio, ut putat Bord. *cit. num. 2.* sed perpetuum, nam omnes, & ubique obligat. Diana p. 4. ref. *tract. 41.* & Peyr. *tom. 2. ad cons. 9. Pauli V.* Vide num. 27.

256. Hic loci sumus de viatore, & advena; minimè de eo, qui ad alium locum se transfudit animo perpetuò ibi habitandi, aut manendi majori parte anni, quia hunc esse subditum, & sub jurisdictione Inquisitoris particularis illius loci, quoad fidem, non est dubium.

Plura vide à num. 206. ad 208.

QUÆRES II:

257. An procedere debeat fraterna correctio? Resp. denunciationem haereticis ex malitia, aut suspecti de haeresi esse faciendam, nulla praemissa correctione fraterna, etiam si firmiter emenda-

tio speretur. Est certum, ex Decr. Alex. VII. *num. 249.* relato, & probatum est, à num. 612.

258. Dixi: haereticis ex malitia; nam si quis habeat aliquem errorem, aut aliquam propositionem proferat ex ignorantia, & simplicitate, & non confet, eum, qui talem propositionem protulit, esse haereticum, tunc est praemitenda secreta correctio fraterna. Bonac. *tom. 1. de Denun. disp. 6. s. 8. pag. 896. num. 5.* Albericus in *Man. Qualif. cap. 37. num. 10.* Alphonsus de Castro, Penna, Toletus, & alii, apud ipsos, quia hic non est haereticus, stante ignorantia; nam haeresis definitur: Error hominis baptizati in intellectu voluntarius contra aliquem articulum fidei cum pertinacia. Pertinaciter autem errare in presenti non est acriter, & mordicus suum errorem tenere, sed est errorem tenere, postquam contrarium est sufficienter propositum; seu quando scit contrarium teneri ab Ecclesia universali Christi, stante autem ignorantia non habetur pertinacia, quae est quasi ratio formalis haeresis. Vide à num. 381. pertinacia igitur est: voluntas resistendi, seu non subdendi suum iudicium Ecclesiae, habita notitia veritatis ab Ecclesia definita, & de fide credenda proposita. Unde quævis ignorantia definitionis, & propositionis Ecclesiae (de qua ignorantia agimus à num. 475. ad 479.) tollit pertinaciam, & inde haeresim formalem, excepta ignorantia affectata; hæc namque æquivalere scientiae, ut in num. 477. Ita Valentia, Cano, & alii *cit. num. 479.* contra Dianam p. 4. tr. 8. ref. 35. Castrop. & Suarez, & alios apud ipsum, qui idem tenent de ignorantia affectata; quatenus qui sic errat, peccat culpabiliter ignorans, sed non offendit auctoritatem Ecclesiae tanquam pertinax, & incredulus. Et solum nobiscum sentit Diana, si quis ignorantiam affectet, quia putat parvi momenti esse ea, quæ in Ecclesia creduntur, & proponuntur; hic enim est haereticus, in quantum ignorantiam affectat ex falsa opinione contra Ecclesiam.

259. Hinc subdit Bonac. *cit. ex quo patet à fortiori, de rigore juris non videri denunciandos concionatores, qui inter concionandum aliqua proferunt ex incuria, vel inconsideratione. Ratio est; quia non est praesumendum, ipsos velle contravenire iudicio Ecclesiae, aut ea dixisse cum plena deliberatione, & advertentia, ita ut velint errori adherere, nisi aliter coniciatur de ipsorum mente. Præterea patet, non esse denunciandos eos, quos constat, lapsu lingua aliquem errorem protulisse. Vide à num. 288.*

Eadem ratione plures libri prohibiti sunt, utpotè continentes haereses, & tamen eorum auctores non sunt condemnati haeretici, in quantum non cognoverant esse contra proposita ab Ecclesia Catholica defendenda de fide. Quotuplex sit haeresis, & quæ reservata. Vide à num. 381. ad 389.

CAPUT IV.

DE PERSONIS, QUAE DENUNCIARI DEBENT.

260. Tenetur quis denunciare haereticum, aut suspectum de haeresi, sive de vehementi, sive de levi, ex Decret. Alex. VII. n. 249: relato per illa verba: Haereticos, vel de Haeresi quomodocunque, etiam leviter suspectos deserant, & judicialiter denuncient. Etiam si delictum sit occultum, & non possit probari; ex Decr. Alex. VII. 24. Sept. 1665. prop. 5. Vide num. 685.

261. Etiam si illud fiat ex secreto naturali, & sub juramento de non revelando, num. 686.

262. Secretum ex consilio petito excusat à denunciando suspectum de haeresi, num. 687. non excusat autem à denunciando haereticum formalem. Bord. in *Sacr. Trib. cap. 31. num. 8.* unde in casu haeresis formalis, solum à denunciando excusat secretum ex sigillo Sacramentali Confessionis. Scotus in 4. d. 21. q. 2. s. Ad argumentum, lit. M. Vide num. 686. & num. 59. unde non excusat à denunciando haereticum formalem Confessarius sciens delictum ratione consilii, nisi consilium illud det, ejus audiendo Confessionem.

263. Tenetur denunciare, nedum ille, qui scit, quatenus delictum propriis sensibus percepit, in quantum vidit, aut immediatè illud audivit, verum etiam ille, qui habet notitiam delicti ex auditu mediato aliorum, qui illud ei retulerunt; licet ex tenore Edictorum, praesertim ex illo Inquis. Siciliae, ubi dicitur: *Se sapere, o habere in se dire.* Ubi quidem distinguitur scientia ab auditu: & quia auditus immediatus delicti, & auctoris delicti facit scientiam, sequitur, quod ibi sit sermo de auditu mediato.

264. Huiusmodi autem auditus mediatus, ut pariat onus denunciandi, per Bord. in *Trib. Fidei, cap. 31. num. 21.* Carenam, Cord. Sanctar. & alios, apud ipsum, debet esse à personis fidedignis. Bonac. *tom. 1. disp. 6. de Denun. p. 893. num. 7.* item Leander de *Sacram. Penit. tract. 5. disp. 13. q. 57.* & apud ipsum, Nav. Sayrus, & Trullench, qui hæc habet: *Denique excusatur à denunciando haereticum ille, qui leviter suspicatur, aliquem esse haereticum, vel à levibus, & parum fidedignis accepit, qui se dicunt ab aliis accepisse.*

Puto autem cum Diana, sufficere, si sit à personis fide levibus, ut in num. 681.

265. Catholicus non tenetur denunciare haereticum in locis illis, in quibus haeretici cum Catholicis sunt permixti, id sciens Inquisitoribus, & Episcopis; quia nemo obligatur ad opus inutile. Bonac. *tom. 1. disp. 6. de Denun. p. 898. num. 9.*

QUÆRES I:

266. An tenetur quis denunciare, si exinde timeat notabile damnum?

Neminem teneri ad denunciandum haereticum, aut suspectum de haeresi cum probabili periculo mortis, infamiae, aut gravis alicujus damni proprii, vel patris, matris, uxoris, fratrum, aut aliorum conjunctissimorum, tenent Fagun. Sanctar., & alii; apud Dianam p. 1. *tract. 4. de Denun. ref. 7.* cum Penna, qui excusat uxorem à denunciando maritum haereticum, ob timorem, ne ab eo male tractetur, & Lazarius, apud Dianam *cit.* quandam virginem honestam cuiusdam dominae famulam excusavit à denunciando famulam ejusdem domus, quam frequenter in blasphemias haereticas prorumpentem audierat, hac doctus ratione; quia illa poterat probabiliter timere grave damnum in fama, quatenus eam videntes ad Tribunal accedere, suspicari possent, eam de aliquo delicto inquisitam.

Hanc opinionem limitat Gouvenois in *Praxi, cap. 18.* nisi haereticus dogmatizaret in magnum Reipublicae damnum, animas seducendo, & corpora offendendo; ut si occideret pueros; & similia faceret, tunc enim succedit id, quod quilibet pro patria tenetur ponere vitam.

267. Resp. ex probabili periculo gravis damni in vita, corpore; & fama, & rebus propriis, aut conjunctorum non excusatur quis à denunciando haereticum formalem, etiam si non dogmatizet; excusatur autem à denunciando suspectum de haeresi, puta blasphemum, fortilegium, abutentem Sacramentis, &c. Bord. in *Trib. Fidei, cap. 31. num. 11.* & in *Man. Consult. sect. 25. num. 176.* & *sect. 18. num. 47.* Bonac. *tom. 1. disp. 6. de Denun. par. 2. num. 6.* & apud ipsos, Freitas, Carena p. 4. *tit. 9. num. 34.* Diana p. 1. *tract. 3. ref. 7.* Ratio 1. partis est; quia haeresis formalis, etiam non dogmatizans, est contra Religionem, & bonum commune totius Reipublicae Catholicae, quoniam haeresis serpit ut cancer, quippe quæ pestifera est, ex *cap. Ut Inquisitionis, de Haereticis, in 6.* bonum autem publicum, & commune ex jure praevalet bono privato, & proprio. Imò (ut advertit Bord.) qui denunciavit haereticum, regulariter nullum habere potest timorem damni; quia haereticus formalis, aut comburitur, aut perpetuò immuratur.

Dicta à fortiori procedunt de Apostata à fide, quia Apostasia non differt specie ab haeresi, & est gravior haeresi, cum sit recessus à tota fide Catholica.

Ratio 2. partis est; quia suspicio haeresis, nec est haeresis, nec ita serpit contra Religionem, ut haeresis. Tum quia poena lata contra haereticos nullam faciunt mentionem de suspectis; unde sicut rigor poenarum contra haereticos non extenditur contra suspectos, ita nec rigor denunciandi haereticum cum probabili periculo vitae, &c. extendi debet contra suspectos. Vide num. 688.

QUÆRES II:

268. An filius teneatur denunciare patrem haereticum, & e converso?

Nna

Pri.

Prima opinio negat, filium teneri denunciare patrem, nisi quando dogmatizet, & filium, alioquin doceat. Teneri autem patrem denunciare filium hæreticum, volunt Simancae de *Catholicis infirmitatibus*, tit. 29. num. 35. Genuensis cap. 18. num. 9. & alii, apud Dianam p. 1. *trac.* 4. *ref.* 4. & Bord. in *Trib. fidei*, cap. 31. num. 13. quia locus Scripturæ modo adducendus exprimit filium denunciandum, non patrem.

269. Resp. teneri filium denunciare patrem hæreticum, etiam non dogmatizet, & è converso. Diana, & Bord. *cit.* & alii communiter, apud ipsos. Suadet ex *Sac. Script. Deut. 13. Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia tua, sive uxor, que est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens: eamus, & serviamus diis alienis, &c. non acquiescas ei, nec audias, neque parcat in oculo tuo, ut miserearis, & occultes eum. Tum quia ex dictis, num. 267. bonum commune Religionis prævalet bono privato patris, filii, &c. eo maxime quia filio patrem hæreticum denunciandi pœna confiscationis propriæ legitima, & pœna infamie remittitur. Alberginus in *Man. Qualif. cap. 35. num. 5.* ex Alphonso de Castro, Penna, & aliis.*

270. A fortiori non excusantur uxor, frater, & alii conjuncti. Ita Doctores *cit.* contra Cabreram, Valerum, & Rojas excusantes uxorem, & maritum. Adeoque in denunciando hæreticum formale non dantur personæ privilegia.

QUÆRES III.

271. An extra hæresim formalem in casibus suspicionis hæresis conjunctus excusetur à denunciando conjunctus usque ad quartum gradum?

Prima sententia negat. Diana p. 8. *trac.* 7. *ref.* 10. in *fine*. Carena p. 2. *tit.* 9. num. 13. Alberginus in *Man. Qualif. cap. 35. num. 7.* & alii apud ipsos. 1. Quia Edicta Inquisitorum loquuntur generaliter, ac proinde sunt generaliter intelligenda. 2. quia eadem militat ratio de hæreticis, ac suspectis de hæresi.

Secunda sententia affirmat excusari. Bord. in *Trib. fidei*, cap. 31. num. 13. & 14. & in *Man. Consult. scilicet* 18. num. 46. Homobonus, & Lazarius, apud Dianam p. 1. *trac.* 4. *ref.* 6. cum aliis. 1. Quia rationes, quæ probant excusari quem à denunciando extraneum in casibus suspicionis hæresis, si exinde probabiliter timeat notabile damnum sibi, aut suis conjunctis usque ad quartum gradum, militent etiam in casu denunciationis conjuncti usque ad quartum gradum. *Vide num. 267.* eo maxime quia ex denunciatione conjuncti sequitur notabile damnum in fama, & bonis ipsi conjuncto, & inde ipsi denunciant. *Vide num. 39.* Hinc non eadem militat ratio in casu hæresis formalis, & in casu suspicionis hæresis. Nec obstat, quod Edicta generaliter loquentia, sint generaliter intelligenda; quia id est verum, quando

aliqua specialis ratio contrarium non suadet, ex *l. Hæres absens*, ff. de *Hæred. instit.* neque generaliter dictum refertur ad extraordinaria. *L. Sejo amico*, *Medico*, ff. de *Ann. leg. ita fere* Bord.

272. Probabiliter tamen mihi est prima sententia, utpotè favorabilior fidei, & bono publico.

QUÆRES IV.

273. An hæreticus, aut suspectus de hæresi teneatur denunciare seipsum?

Resp. non teneri, nisi quando interrogatur, ut reus à Judice. Diana p. 1. *trac.* 4. *ref.* 8. Bord. *cit.* num. 15. & *com.* quia nemo tenetur se prodere, ex *cap. Aliquando*, de *Pœnit. d. 1.* & nullus tenetur suam turpitudinem detegere. *L. Alia*, ff. de *Jurjur.*

QUÆRES V.

274. An hæreticus, aut suspectus de hæresi teneatur denunciare complicem?

Complicem non teneri denunciare complicem in quacumque materia fuerit complex, tenetur *Port. in Addit. ad dub. Regul. ver. Denunciatio*, num. 10. Bonac. *tom. 1. disp. 6. de Denunc. pag. 898. num. 8.* Suarez, & Megala, apud Dianam *tit. ref.* 9. Bord. *cit.* num. 15. Hurtado, & alii, apud Leandrum de *Pœnit. trac.* 5. *disp.* 13. q. 43. quia denunciare complicem est virtualiter denunciare seipsum; non enim potest quis manifestare complicem delicti, quin manifestet seipsum, adeoque, cum nemo tenetur denunciare seipsum, nemo tenetur denunciare complicem.

275. Resp. in casu hæresis formalis, tenetur quis denunciare complicem delicti; minime in casu suspicionis hæresis. Bord. *cit.* num. 19. cum aliis: sequitur ex dictis, num. 31. Ratio 1. partis est, quia à denunciando hæreticum nullus excipitur, nisi Confessarius, qui illum novit sub sigillo Sacramentali, ac proinde discipulus tenetur denunciare suum magistrum hæreticum, non obstat, quod sit ejus errores secutus.

276. Non officit ratio in oppositum, quia manifestando complicem, non manifestat seipsum directè, sed indirectè.

277. Nec obstat, quod se exponeret periculo gravis damni in fama, bonis, &c. 1. Quia etiam eo periculo dato, tenetur quis denunciare hæreticum, etiam cum periculo gravis damni, ob dicta num. 267. 2. Quia talis denuntiatio potius cedit in denunciantis utilitatem; quam in damnum. 3. Quia non denunciando substat majori periculo, nempe, ut præveniatur ab alio, & tunc, ut puniatur de rigore justitiæ. 4. Quia respectu sui censetur potius spontè comparens, ut recipiat gratiam, quam denunciator.

Ratio 2. partis est eadem, quæ num. 267. *Vide num. 666.*

QUÆ.

De Denun. ad Edicta Inquisitorum.

QUÆRES VI.

278. An teneatur quis denunciare hæreticum jam emendatum?

Negat Scotus, Genuensis, & alii apud Dianam, & Bonac. citandos.

Joseph. de August. in 4. *Prat. Dec. num. 13.* negat, si crimen per secretam admonitionem emendatum, sit occultum; affirmat verò, si sit publicum; quia in hoc casu finis denunciationis est puniatio rei ad publicum exemplar. Ita etiam Delbene ex multis, apud Bord. in *Man. Consult. scilicet* 18. num. 50. quorum ratio est: quia quando hæreticus erat occultus, & emendatus, cessat injuria facta Reipublicæ, & inde finis Edicti, qui est puniatio ad satisfaciendum injuriam factam Reipublicæ. Nec finis denunciationis est correctio publica in delictis occultis, bene verò in publicis.

Resp. teneri eum denunciare ex vi Edicti Inquisitorum. Diana p. 2. *trac.* 4. *ref.* 3. Bonac. *tom. 1. disp. 6. de Denun. p. 898. num. 5.* contra Sotum, Genuensem, & alios apud illos. 1. Quia finis Edicti non est sola emendatio fratris, sed puniatio in publicum exemplum, juxta dicta à num. 694. 2. Quia hæreticus facillime fingeret se emendatum metu denunciationis. 3. Quia hæreticus formalis, etiam occultus à nullo potest à vinculo excommunicationis absolvi, nec virtute Jubilæi, nec Bullæ nec privilegiorum, nisi à Sancta Sede, aut proprio Inquisitore, ex *Decr. Alex. VII. 24. Sept. 1665. prop. 4.* adeoque donec spontè non compareat, ut absolvatur, non potest censeri emendatus.

His de rationibus, licet Bulla Alex. VII. relata, num. 249. præcipiens denunciationem faciendam, nulla præmissa correctione fraterna de emendatione, mentionem non faciat, non inde sequitur, emendatum non esse denunciandum.

Nec obstat ratio in oppositum; quia est vera in delictis contra proximum, minime in delictis contra Deum, & fidem; cum Deo sint aperta omnia abscondita cordis.

QUÆRES VII.

279. An ille, quem post commissum delictum super sessionis, aut blasphemie, statim penitet, sit denunciandus?

Resp. affirmativè, supposita plena advertentia, & liberatione. Bord. in *Trib. Fidei cap. 31. num. 9.* quia in delictis solam consideratur voluntas deliberata in factum transiens, minime voluntatis perseverantia, aut subita retractatio. *Vide num. 693.*

Dixi: *Supposita plena advertentia, & liberatione*; quia si circumstantiæ externæ in aliquo casu sint tales, ut faciant prudenter dignoscere, quem in blasphemiam prorupisset, non cum plena advertentia ad malitiam, aut non cum pleno consensu voluntatis, aut mente non integra, sed turbata ex vehementi passione, tunc, sicut excusatur à culpa mortali, ita & à pœnis. Talis à nonnullis suis judicatus quidam, qui

ex vehementi pecunie dolore, quam ardentè amabat, amisse, & à detentore denegate, vehementi irascibilis impetu in blasphemiam prorupit, sed immediate ad propositionem blasphemiam, sui pœtoris percussorem addidit; hoc etiam innuit Leander in *Prat. Dec.* loquendo de blasphemia.

QUÆRES VIII.

280. An qui accessit ad confessionem animo non consentienti peccat, sed involvendi Confessarium ad hæresim, sit à Confessario denunciandus?

Negat Bord. in *Man. Consult. de ann. 1693. scilicet* 25. num. 168. quia allata confessio hæretici objective spectata, & quoad modum est Sacramentalis.

Resp. esse denunciandum à Confessario. Genuensis, Grassius, Sotus, & Sylvelter, apud ipsum Bord. Carena p. 2. *tit.* 9. num. 2. quia ex num. 262. solum sigillum Sacramentale excusatur à denunciando hæreticum; præfatus autem Confessarius non obligatur ad sigillum Sacramentale; quia ad hoc obligat sola Confessio Sacramentalis; qualis non est allata confessio hæretici, nam Sacramentalis confessio est illa, quæ penitens sua peccata Confessario manifestat, animo se accusandi, & Sacramentum Pœnitentiæ suscipiendi, confessio autem facta non sic, sed animo inducendi Confessarium ad aliquod crimen, nullo pacto est Sacramentalis, nec obligat ad sigillum Sacramentale. Tamb. in *Meth. Conf. de Sigillo*, cap. 1. & *cap. Tum* quia illa non est confessio, sed modus occultandi hæresim, & ferretò alios pervertendi.

Et Lucas Fenech de *Sigillo*, num. 77. addit, quemdam Confessarium fuisse puniunt; quia non manifestavit conspirationem factam, quam alter in confessione ipsi aperuerat, non animo se accusandi, sed animo illum ad eandem conspirationem trahendi. A fortiori est idem dicendum in casu nostro de hæretico.

Immeritò autem Bord. pro se cit. Dianam p. 1. *trac.* 4. *ref.* 23. Bonac. Acunnam, & alios; quia illi loquuntur de muliere sollicitante Confessarium ad inhonestam, hæc utique non est à Confessario denuncianda; quia non est hæretica, nec suspecta de hæresi. *Vide num. 583. & 584.* in casu verò nostro penitens sollicitans sollicitat ad hæresim, & inde comprehenditur hæreticus, ac propterea est à Confessario denunciandus.

281. Qui verò audit penitentem Confessario suam hæresim, sive secretò, sive publicè ob majorem verecundiam verè consistentem, non debet illam denunciare; quia nedum Confessarius, sed etiam alii, casu audientes, tenentur ad sigillum Sacramentale. Scotus in 4. d. 21. q. 2. §. De quarta *Concl. H. Bord. in Man. Consult. scilicet* 18. num. 26.

QUÆRES IX.

282. An sit denuncianda mulier, quæ senel masculinè, aut superstitionem fecit?

Non 2

GE.

Cenuensis, cui adheret Diana p. 2. tract. 17. ref. 66. tenet, non esse denunciandum, nisi superfluitio, &c. speret manifeste haresim, & simplicitas, aut alia iusta causa non excuset.

Resp. esse denunciandum; quia Edictum absolute precipit denunciari delicta suspecta de haresi committentes, & non utitur verbo *Executes*. Alioquin nedum non esset denuncianda mulier, quæ femel maleficium, aut superstitionem fecit, sed neque, quæ bis, aut ter; nam duo, aut tria facta non faciunt exercitium. Tunc quia quæ femel maleficium fecit, verè delictum in Edicto comprehensum commisit. His rationibus denunciandus est Confessarius, qui femel sollicitavit. Vide num. 678.

QUÆRES X.

283. An quando precipitur delictum denunciandum ex presumptione, qua sit, sciens in tali casu presumptionem desistere, teneatur ad denunciandum?

Negat, apud Dianam p. 1. tract. 4. ref. 10. Homobonus, Riccius, & Valerus, qui hæc habet:

Quid fallit in his, in quibus Edictum se fundat in presumptione, ut in Chironanticis, Necronanticis, & aliis, qui ex inspiratione rimularum, vel linearum minimam aliquam prædicant, si aliis ego certè scio, non habere tales pactum ullum cum demone, non teneor denunciare, nam Motus Sixti V. circa hoc editus fundat se in presumptione. In dubio autem tenetur quis denunciare.

Resp. teneri denunciare. Freitas, apud Dianam cit. 1. Quia iudicium suspicionis haresis spectat ad Inquisitores. 2. Quia huiusmodi censentur suspecti suspicionem juris de jure; & hac ratione in num. 692. dicimus, mulierem teneri denunciare Confessarium sollicitantem, quem scit ex pura fragilitate sollicitasse, non obstante, quod Bulla Greg. XV. fundetur in presumptione, ut liquet ex illis verbis: *Nos in animum inducere nequeantes.*

QUÆRES XI.

284. An omittens denunciationem hæretici, aut suspecti de haresi sit suspectus de haresi, & denunciandus?

Quoad omittendum denunciationem suspecti de haresi, non esse suspectum, tenent Carena p. 2. tit. 9. num. 4. & 46. & Lupus apud Bord. in *Man. Consult. sect. 18. num. 72.* ac proinde non esse denunciandum, quia præsumptio non oritur ex presumptione, nec suspicio ex suspitione; Bord. verò cit. vult, esse suspectum de levi; concedit tamen sub num. 73. quod non sit denunciandus: illud mihi verum est, quod non sit fautor hæretici, quia suspectus de haresi non est hæreticus. Leander de *Censuris, tract. 3. disp. 1. q. 27.*

285. Quoad omittentem autem denunciationem hæretici, cum possit, Carena cit. tenet esse levi-ter suspectum; imò nullo pacto esse suspectum, si

omittat ex metu, aut alia causa in se honesta consanguinitatis, amicitia, &c. quia tunc præsumitur omittere, non ut defendat haresim, nisi ea amicitia, & familiaritas esset nimis ardens, aut nisi tenetur denunciare ex officio, tunc quidem induceretur vehementer suspicio. Diana p. 4. tract. 7. ref. 21. §. Et tandem.

Addit Bord. cit. num. 73. cum Lupo, quod omittens denunciationem hæretici; licet sit suspectus de haresi, non sit denunciandus; quia non debet dari processus in infinitum. Nec obstat, quod Edictum precipit denunciationem suspecti de haresi; quia loquitur de suspectis ob alia delicta positiva patrata.

Hinc Lupus p. 70. diff. 2 & Delbene dub. 27. num. 2. eum aliis tenet, personas privatas omittentes denunciare Inquisitori, cum possint hæreticum, non esse fautores hæretici, si solum teneantur ex præcepto Edicti Generalis Inquisitorum, sed peccare contra obedientiam, & incidere in censuram Edicti, ac inde esse puniendos ab Inquisitoribus, non pœna ordinaria fautorum, sed ad arbitrium tanquam inobedientes mandatis; illis adheret. Diana cit. At Alphonsus de Castro, & Leander cit. q. 31. docent, eos esse fautores.

286. Certum tamen mihi est, quod si isti omittentes, seu non revelantes hæreticum, cum possint, ad id teneantur ex officio, ut sunt Notarii, Socii, Satellites, & similes ex Officio Sancto Tribunali inservientes, & testes legitime interrogati, qui veritatem celant, aut minuunt, sint suspecti de vehementi, & fautores hæreticorum. Ita cit. DD. ac proinde ultra excommunicationem Edicti, incurunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ, & sunt denunciandi.

Idem dico cum Diana cit. §. Nota tamen, de personis privatis, si ex speciali præcepto vocentur ad veritatem dicendam, & recitent accedere, aut requisiti à ministris ad auxilium contra hæreticos præstandum, omittant.

Idem de persona privata, quæ dissuadet à denunciando hæreticum, cum, qui est paratus denunciare, aut consilium petit; quia habetur positivum delictum.

Prælati autem omnes à fautoria excusantur, ac inde ab excommunicatione in Cœna Domini, & suspensione haresis, tam quando omittunt denunciationem, quam quando positivè fiunt hæretico, non ut tali, sed ob aliam causam in se honestam, puta ratione metus, periculi, consanguinitatis, amicitia, &c. Bord. cit. sect. 14. à num. 12. Leander cit. q. 1. & 2. cum communi, quia ad incurrendam fautoriam requiritur, quod motum ferendi sit haresis; cum enim censura Bullæ Cœnæ feratur in hæreticum propter haresim, ita ferri debet in fautores hæreticorum, ut talium; quia accessorium sequitur suum principale.

Hoc verò locum habet in foro conscientia, quoniam in foro externo præsumitur fautor, excom-

municatus, & suspectus de haresi, nisi probet quod omiserit ex alia causa.

CAPUT V.

DE DELICTIS AD S. OFFICIUM SPECTANTIBUS.

QUÆRES I.

Quid ignorantia operetur?

287. **R**esp. ignorantia culpæ excusare à culpa. Hinc in aliquibus superstitionibus, in quibus non adest pactum explicitum cum demone, sed solum implicitum, ex ignorantia, & simplicitate, mulierculæ sæpe excusari solent à culpa mortali. Quod autem requiritur ad peccatum mortale, fusè dictum est in tom. 1. de peccatis.

288. In illis autem casibus, in quibus quis excusatur à culpa mortali, excusatur à pœnis; quia pœna sequitur culpam, ac proinde non afficit ignorantes Bord. in *Trib. fidei, cap. 41. num. 35.* qui num. 36. addit:

Procedunt dicta non solum in foro conscientia, in quo asserti ignorantiam creditur; quia agitur de interese anime, cujus nullus præsumitur immemor, cap. Sancimus 16. 1. quest. 7. nam cuique in foro conscientia, tam pro se, quam contra se creditur, ex C. Significasti 18. de Homicidio, verum etiam in foro externo; quia unusquisque fori idem est iudicium. Sicut Sanchez, &c. Valerus in *Prælat. differ. utriusque juris, v. Eius, assertens, valere argumentum à foro interno ad externum, & è contra. Id verum dicunt, nisi forus externus fundetur in presumptione, in quo casu allegans ignorantiam, eam probare tenetur.*

Quamvis igitur in foro externo secundum externam procedatur, adhuc forus internus potest juvare pro externo, si conjectura, & circumstantia extrinsecæ qualitatibus personæ, actionis, temporis, &c. sint tales, ut rationaliter, & prudenter inducant ad arguendum ignorantiam, simplicitatem, aut perfecti voluntarii defectum.

QUÆRES II.

289. Quales sint propositiones prave ad Sententiam Officium spectantes?

Propositiones prave ad S. Officium spectantes sunt plures, juxta quindecim gradus, quos factis doctè assert. Bord. in *Trib. fidei, cap. 14. num. 77. ad 88.* & sunt: propositio hæretica, erronea, sapiens haresim, impia, temeraria, malefona, seu piaurium aurium offensiva, scandalosa, periculosa, arrogans, seditiosa, schismatica, blasphemata, maledicta, seu injuriosa, & improbabilis.

1. PROPOSITIO HÆRETICA

290. **E**ST, quæ immediate opponitur propositioni revelata dicitur, & consequenter de fide, 1. Quæ est expressa, aut contenta in Sacra Scriptura

antiqui, aut novi Testamenti ab Ecclesia recepta, ut Christus mortuus est, & resurrexit. 2. Quæ ab Ecclesia Universalis in Concilio Generali legitime congregato, aut à Sede Apostolica, seu à Summo Pontifice, tanquam ad fidem pertinens est definita, ut ex *Trid. sess. 6. can. 5. Liberum hominis arbitrium post Acta peccatum non est amissum, & extintum, &c. Vide num. 298. 3. Quæ ex Apostolicis traditionibus est communi ulu Ecclesiæ recepta.*

291. Traditiones Apostolicæ ex *Trid. sess. 4.* sunt quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus tradite, ad nos usque pervenerunt.

Quæ traditiones quantæ sint autoritatis exprimit immediatè sequentibus verbis:

Orthodoxorum Patrum exemplis secuta, omnes libros, tam veteris, quam novi Testamenti, cum utriusque veritas Deus sit Author, necnon traditiones, tam ad fidem, quam ad mores pertinentes, vel tanquam ore tenus à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipi, & venerari.

Hinc Scotus in 1. d. 11. q. 1. §. Ad autoritates, D. ait: Nec Christus in Evangelio docuit omnia pertinentia ad dispensationem Sacramentorum, dixit enim discipulis suis in Joanne: adhuc habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modo: cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: multa igitur docuit eos, scilicet, quæ non sunt scripta in Evangelio, & illa multa, quædam per scripturam, quædam per consuetudinem tradiderunt.

292. Traditiones spectantes ad fidem sunt, 1. Quod Deus solus sit author utriusque Testamenti. 2. Quod Sacra Scriptura ad nos pervenit intacta secundum veritates à Deo revelatas. 3. Quod verus sensus Sacra Scriptura sit in Ecclesia Romana, non extra. 4. Quod symbolum parvum Apostolorum sit verbum Dei, verbum canonicum, & legitimum. 5. Quod parvuli sint baptizandi. 6. Quod baptizari ab hæreticis, servata legitima forma, non sint rebaptizandi. 7. Quod in Sacramento Baptismi sint exprimentæ tres personæ. 8. Quod Sacramenta sint tantum septem, non plura nec pauciora. 9. Quod Mater Dei, fuerit semper Virgo.

293. Traditiones spectantes ad ritus, & mores sunt. 1. De benedictione aquæ. 2. De orando versis orientem. 3. De trina merione in baptizando. 4. De miscenda aqua in Calice. 5. De formando signum Crucis in fronte. 6. De sumenda Eucharistia in junio. 7. De abstinentio à servilibus, diebus Dominicis, & similes, quæ minimè in sacris libris scripturæ reperiuntur, sed apud Sanctos Patres acceptæ ab Apostolis edoctis à Christo, nam ex Joann. ult. Multa alia fecit Jesus, quæ non sunt scripta in libro hoc. Unde Paulus ad Theol. 2. ait: Tenete traditiones, quæ accepistis, sive per sermonem, sive per Epistolam.

294. Præter traditiones divinas dantur traditiones Ecclesiasticæ, quæ post tempora Apostolorum sunt